



71

I V V E N A L I A
 S V B A V S P I C I V M
 N O V I A N N I
 C A R P T I M E X P O N I T
 E T
 A D V O T A R E L I G I O S A
 N V N C V P A N D A
 O B S E Q V I O S I S S I M E
 I N V I T A T
 M . I O . G O T T L . B I D E R M A N N . R .

FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEANIS.

LXXI.



IVVENALIA Romanos, ut pleraeque caerimonias, à Graecis accepisse, accepta autem suo ingenio adcommodasse, negari non potest. Hi enim quo maiorem curam filiis bene educandis impendebant, eo amplioribus praemiis virtutem illorum irritabant. Hac mente singulares dies, iique festi, agitantur quotannis, inter quos ΕΦηβια et Κερεωτις primum locum occupabant. Et illa quidem hoc consilio celebrabant, ut pueri in ephebos referrentur: in cuius rei gestae signum publicum laurus bifida pro foribus aedium collocari solebat. a) Altera autem solemnitas, procul dubio nomen απο των κερων, h. e. pueris sortita, et hanc ob causam ita adpellata fuit, quod eo die parentes in conspectu tam propinqua cognatione quam familiaritate coniunctissimorum filios suos certae curiae addicendos et in tabulas publicas inscribendos sistebant. Cuius facti ut certum indicium esset, coma resecta et sacris Dianae factis, puerum publice initiabant. b) Ne vero indigni hoc beneficio pueri viderentur, carmina sani coloris neque insulsi saporis coram populo recitabant, iisque adplausum aucupabantur. De hoc festo Cureotidis die PLATONEM audiamus, testem omni exceptione maiorem, qui Critiam de hoc ritu ita perorantem inducit: a) αθλα ημιν οι πατερες εθεσαν βραψωδιαις. Πολλαν μεν εν δη και πολλα ελεχθη ποιητων ποιηματα, h. e. parentes certaminis loco rhapsodias (i. e. confuta ex variis versibus carmina) nobis proponēbant, et multa multorum poetarum carmina recitabantur. Quae PROCLVS, commentator Platonis felicissimus, hoc suffragio confirmat: d) η τριτη (ημερα) Κερεωτις. Εν ταυτη γαρ τες κερες ενεγραφον εις τας Φρατορας, τριετεις και τετραετεις οντας, h. e. tertia dies (Aparuriorum) erat Cureotis: in illa pueros trium vel quatuor annorum in certas tribus referebant.

Haec igitur multis cum aliis ritibus non solum ex Graecia in Latium migrarunt, sed etiam à gente, quae voluptatibus seruiebat, semel recepta in ludos transferunt. Namque Imperator Nero, quem ipse pater Domitius detestabilem et malo publico natum ominabatur, e) Cureotida Graecorum in Iuuenalia ita transformabat, ut deformata rectius dicerentur, praestantissimis reiectis, leuissimis autem retentis. f) Causam nempe sciscitantibus, qua adductus Nero ciuibus suis Iuuenalia imperauerit? DIO respondet, ff) factum illud esse propter barbam prima vice rasam, cuius pilos in sphaeram auream inclusos Ioui Capitolino consecrauit. Idem vero non iuuenes solum, sed viros etiam aetate prouectos et dignitatibus conspicuos, ut aegre iis faceret, hos ad ludos pertraxit. Ita enim SVETONIVS:

a) Io. Meursii Graec. ser. L. III.

b) Scholiast. - Aristophan in Acharn v. 145.

c) in Timaeo. p. 21. ed. Henr. Stephan fol. 1578

d) Commentar in Plat.

Tim. p. 27.

e) Sueton Ner. c. VI.

f) Tacit. Annal. XIV. 15. XV. 33.

XVI. 21.

ff) LXI. p. 697.

TONIVS: g) *Iuuenalibus quoque senes consulares anusque matronas ad lusum recepit.* Eodem teste h) C. Caligula hos ludos frequentavit, *Saturnalibus Iuuenalia adiiciens.* Neque Vitellium, insignem omnium voluptatum artificem, ab iis celebrandis abstinuisse, TACITVS nos docet. i) Et haec Iuuenalia quemadmodum à prisco instituto omnino degenerauerant, ita sequenti aetate ab Imperatoribus ad ciues Romanos transibant. Testis est SIDONIVS, episcopus saeculi post Christum natum quinti in Gallia Claraemontanus, amicis his verbis compellans: k)

*Iam vero, Iuuenalibus peractis,
Quem te praebueris sequenti in aevo?*

Nam, sicuti filii Romanorum tirocinii die pueros exuebant, ita festo Iuuenalium die, barba primum detonsa, inter viros referebantur. Et quidem ex verbis Sidonii iam in medium adlatis, videmus, Iuuenalia quinto adhuc saeculo viguisse, qui etiam et tempus et formam istorum solemnium his phalaecis complectitur:

*Ianus forte suas bifrons calendas
Sumendas referebat ad curules;
Mos est Caesaribus, die bis uno
(Priuatos vocitant) parare ludos.
Tunc coetus iuuenum, sed aulicorum,
Elei simulacra torua campi
Exercet spatiantibus quadrigis etc.*

Nos autem sub noui anni auspicia hanc ob causam Iuuenalium recordamur, quod pietatis officiis consentaneum existimamus, ut iuuenes, disciplinae nostrae commissi, DEO et Patronis pro beneficiis adhuc praestitis non solum gratias persoluant, sed etiam de nouo illorum gratiam et praesidium exorent. Sicuti vero, quod iam ostendimus, olim Graeci in celebrandis Iuuenalibus pueros suos carmina recitare et ingenii specimina publicae luci exponere iuebant, ut ciues intelligerent, quid praestarent sui filii, et quid promittere sibi de iis possent: ita nos nostrum esse censemus, acta iuuenum nostrorum annua recensere, ut non solum ratio laborum reddatur, sed diligentes etiam excitentur, pigri autem et negligentes pudeant. Specimina igitur diligentiae anno elapso ediderunt

IANVARII

die X. Chr. Fridr. *Arnold*, Papaerod. et Sam. Sigm. *Buschmann*, Rasselau. qui Hebraice, Io. Ies. *Krebel*, Naumburg. et Beni. Traug. *Schmidt*, Freiberg. qui Italice, Fr. Wilh. *Loewel*, Kleinschirm. et Car. Henr. *Gerstaecker*, Lommat. qui Gallice; Io. Chr.

g) in Ner. cap. XI.

k) Carm. XXIII. 428.

h) In Calig. c. XVII.

i) Histor. III. 62.

Chr. *Daschke*, Prife. et Dau. Gotth. *Simon*, Hohnstein. qui Graece; Beni. Gottfr. *Schweickert*, Klik. et Gustav. Ludou. *Vlbricht*, Sorgau. qui Latine, Christ. Gottl. *Stecher*, Freib. et Chr. Gottl. *Kaifer*, Freib. qui Germanicis versibus anni auspicia gratulabantur. *Programma*, quo auditores inuitabantur, *Specimen nominum Δεσφορων* complectebatur.

d. XIV. Fr. Sam. *Fritsche*, Freib. de *consuetudine veterum, nouum annum gratulandi*, verbis germanicis perorabat.

d. XXII. Thesis ex compendio Hutteriano: *mundus aliquando finem est habiturus*: disputando excutiebatur, respondente Fridr. Traugott *Herzog*, Koenigsbrück, et opponente Io. Aug. *Bienert*, Freiberg.

d. XXIX. orationem de *etnica origine carnis priuii* sermone Teutonico conuulsiatam habebat Chr. Gottl. *Kroeber*, Dresd. Idem argumentum stilo Latino persequabatur Io. Fridr. *Helbig*, Tuttendorf.

FEBRUARI

die V. Car. Fridr. *Hindenburg*, Dresd. oratione germanica de *ratione veterum, causas forenses agendi*, exponebat. Eandem materiam Io. Fridr. *Pistorius*, Freib. utens sermone Latino repetebat.

d. XIX. Fridr. Gotthelf *Lochmann*, Dresd. vernacula lingua *damna et pericula ab ipsis amicis metuenda* ostendebat; quod argumentum verbis Latinis Chr. Theodor. *Küchenmeister*, Dorfhayn. replicabat.

d. XXI. oratione valedictoria, stilo Latino concepta, Io. Gottl. *Kreyssig*, Freib. *Prudentium fuisse Mariolatram*, docebat: cui discessum Maur. Erdm. *Engel*, Chemnic. gratulabatur, strictum de *idololatria litteraria* praefatus. *Programma* ad hunc actum inuitatorium de *Xenotaphiis veterum* exponebat.

d. XXVI. sermone vernaculo perorabant Fridr. Gottl. *Lehmann*, Dippoldisw. de *decoro, morti vicinis obseruando*; Io. Gottfr. *Anshelm*, Hezdorf. de *prudenti temporis usu*; et Io. Frid. *Doering*, Haynich. de *praeiudicio, diuitissimos quosque habere plurimos amicos*.

d. XXVIII. publicis orationibus Ern. Aug. *Haehnel*, Leubsdorf. Germanice de *implorando ad actiones humanas praesidio diuino*; Chr. Gottl. *Klemm*, Schwarzenberg. Graece de *Charistiis Romanorum* agebant; Car. Fr. *Tillner*, Pappendorf. autem, usus sermone patrio, *bene tentatos iuuenes in optimos euadere viros*, docebat. Primi discessum ex schola Fr. Gottl. *Bidermann* gratulabatur, Latinis verbis *conuenientiam rituum sacrorum apud Iudaeos atque Americanos* ostendens. *Programma* de *חברת קה"ק* ex *Leuit*, XIX, 28. agebat, numero I.

MARTII

die V. orationem verbis Latinis contextam Fr. Traug. *Herzog*, habebat de *gravi ratione temporis male collocati reddenda*.

d. XI.

d. XI. scholae publice valedicentes perorabant Chr. Gottl. *Drechsel*, Gele-
nau. Latine de *hostibus resurrectionis mortuorum*; Sam. Sigm. *Buschmann*, Raffau.
Latine de *resurrectione mortuorum ex mente Iudaeorum*; et Chr. Fridr. *Küchen-*
meister, Crummenhennersdorf. Graece de *resurrectione mortuorum, poetarum fa-*
bulis involuta. Partes gratulantis exsequabatur Gotthelf Fridr. *Oppelt*, Crum-
menhennersd. Germanico sermone *momentum amicitiae ad normam sanae rationis*
exactae demonstrans. *Programma* argumentum de *עקר כחה* Leu, XIX, 28. per-
tinebat, num. II.

d. XII. perorandi periculum faciebat Chr. Fridr. *Wittig*, Iohannegeorgen-
stadt. chria sermone vernaculo concepta de *necessitate scholarum* exponens,

APRILIS

die IX. oratione Teutonica Io. Gottl. *Bidermann*, Naumb. testatum fa-
ciebat, *ante mortem neminem esse beatum*.

d. XVI. temporis habiturus rationem Fridr. Gottl. *Bidermann* Latinis, et
Fr. Sam. *Fritsche* Germanicis verbis *tempus vernale, omnium amoenissimum*
commendabant.

d. XXX. Chr. Gottl. *Stecker*, Freib. Latine, et Io. Gottl. *Hacke*, Oßit.
Germanice de *insigni taciturnitatis usu* agebant.

MAY

die VII. Chr. Ehreg. *Schneider*, Freib. Latina, et Chr. Ehreg. *Wunderlich*,
Culm. Germanica oratione *miserabilem Hierosolymorum vastationem* repraesent-
tabat.

d. XIV. Io. Gottfr. *Richter*, Niderschoen. verbis Germanicis de *liberti-*
norum dignitate apud veteres Romanos perorabat.

d. XVI. publicis orationibus Fr. Traug. *Herzog* Latine de *fabulosa Saxo-*
num origine; Chr. Theod. *Küchenmeister* Latine de *Palladio pacis religiosae*,
et Io. Sam. *Richter*, Oberschoen. Germanice de *aerumnis metalli fossorum* expo-
nebant. Et huic quidem scholae valedicturo Latinis verbis *diuersa amicitiae*
ineundae incitamenta ostendens Ern. Gottl. *Richter*, Oberschoen, gratulabatur.
Programma inuitatorium in *Cenotaphia Veterum* commentabatur.

d. XXVIII. Chr. Fridr. *Greif*, Mittweid. Latinis verbis, Io. Gotthold
Geisler, Freib. sermone germanico, et Io. Gottl. *Bidermann*, carmine heroico
eoque Latino *sapientiae studium omni contentione colendum* commendabant.

IVNII

die IV. Io. Gotth. *Geisler*, Latine de *amore erga litterarum studia irri-*
tando, et Gottl. Fridr. *Grundig*, Sayd, Germanice de *vitando ebrietatis vitio*
verba faciebant.

d. XI.

d. XI. poema Latinum Io. Gottl. *Bidermann* recitabat, quo *fabula de Phoenice* partim explicabatur, partim applicabatur.

d. XVIII. disputatione *de Purgatorio* exercebantur Christian Theod. *Küchenmeister*, Dorfhayn, respondens, et Fridr. Gottl. *Bidermann*, Naumb, opponens.

d. XXVII. publice valedicebant Io. Ies. *Krebel*, Naumb. Chr. Gottl. *Klemm*, Schwarzenb. et Fridr. Lebr. *Klingsobr*, Freib. ille sermone patrio docens, *maiori laude dignum esse, qui animos, quam qui urbes expugnat*; ille stilo germanico *veram animi magnitudinem* complexus; hic autem Latina oratione ostendens, *fortunam plerumque sapientia esse superiorem*. Gratulans Maur. Erdm. *Engel*, in carmen germanicum *dolorem Didonis ob Aeneam discedentem* (Virgil. Aen. IV. 584. fqq.) redegerat.

IVLII

die IX. Sal. Dan. *Naumann*, Freib. oratione Latina *Mandarinum bipedum nequissimum* depingebat. Idem argumentum sermone Germanico Io. Fr. *Doering*, Haynich. repetebat.

d. XVI. anniuersariam memoriam beneficii Haen. hiani, quod certis alumnis liberalem conuictum indulget, Fridr. Gottl. *Lehmann*, Dippoldisw. renouabat, sermone vernaculo *de prudenti adfectuum moderatione* exponens.

d. XXIII. Fridr. Gotth. *Teichmann*, Freib. *praesidia et solatia firmissima discipulis fortunarum inopibus* oratione germanica commendabat.

d. XXX. quum pro rostris sacris *historia excisae urbis Hierosolymitanac* explicaretur, Fr. Gottl. *Bidermann* carmine germanico eandem referebat.

AVGVSTI

die III. memoria Ordinis Albae Aquilae ita perorando renouabatur, ut Symbolum eiusdem tripartitum explicaretur. Et quidem Io. Fridr. *o Feral*, Dresd. verba symboli; PRO FIDE: oda Teutonica; Fridr. Gottl. *Lochmann*, Dresd. verba: PRO REGE, oratione Gallica; et Car. Fridr. *Hindenburg*, Dresd. verba: PRO LEGE, carmine Latino eoque heroico illustrabant, *Programma*, quod actus ille solemnus indicabatur, *de dignitate Ordinis Aquilae Albae* exponebat.

d. VI. Fr. Sam. *Fritsche*, Freib. oratione germanica in oraculum diuinum, quod claritatem atque integritatem prae se ferebat, (*Vrim et Thummin*) commentabatur.

d. XIII. Gottfr. Beni *Weber*, Dippoldisw. verbis germanicis usus, *de aemulatione laudabili*, tanquam egregio studiorum incitamento, agebat.

d. XX. disputando probabatur: *in omni religione saluari nos non posse*: respondente Chr. Ehreg. Lebr. *Tscheckelio*, Freib. et opponente Io. Chr. *Daschkio*, Prife.

d. XXV. Christlieb Bened. *Funcke*, Hartenstein. anniuersariam benefactoris, Barthol. Iaenichii, memoriam oratione Latina *de praesentia scientiarum* restaurabat.

SEP-

SEPTEMBRIS

die III. Maur. Erdm. *Engel*, carmine Lat. et Car. Fridr. *Winter*, Dresd. oratione germanica *beneficium largae messis* recolebant: Io. Gotthart *Vlich*, Misen. autem chria germanica *de optimo irae sedandae remedio* agebat.

d. X. Christian Gotthelf *Meyer*, Frcib. sermone vernaculo religiosarum *precum necessitatem et utilitatem* commendabat.

d. XVII. Scholae valedicentes Fr. Wilh. *Loewel*, et Car. Henr. *Gerstaecker* de *foeditate animi ingrati et beneficiorum immemoris* verba faciebant.

OCTOBRIS

die I. *memoriam Pacis Religiosae saecularem* iuvenes XCII. piis votis maximam. partem poetica et vario idiomate conceptis renouabant, quae separatim litteris excusa prostant. *Programma*, quod hunc actum significabat, *gratiosissimas Potentissimi Regis et Ser. Electoris nostri promissiones, de religione nostra non violanda*, sermone patrio complectebatur.

d. II. in eiusdem beneficij recordationem actus publicus disputatorius instituebatur, ubi praeside Conrectore huius scholae meritissimo, M. Io. Andr. *Luthero*, Respondens Fridr. *Gottlieb Bidermann*, et Opponentes, Maur. Erdm. *Engel*, Chr. Fridr. *Müller de Berneck*, Christ. Theodor. *Küchenmeister*, et Car. Fridr. *Hindenburg* vires suas experiebantur. Ipsa disputatio, una plagula constans, prelo excusa proflat, his verbis inscripta; *Lance satura positionum aliquot miscellarum*.

d. VIII. Io. Georg. *Erasimus de Reinbaben*, et Fridr. Gotth. *Teichmann*, germanice, Christian Ehregott *Wunderlich* autem latine de *praestantia et usu viticulturae* perorabant.

d. XXII. Christian Ehregott *Lebrecht Tzschoeckel*, carmine heroico verbis Latinis concepto *delicias autumnii* decantabat.

NOVEMBRIS

die XIX. Io. *Gottlieb Bidermann*, poemate Latino Epico, et Christ. Gottfr. *Maeschel*, Freib. sermone vernaculo *damna et pericula tyrannidis* percensebant.

d. XXVI. disputabatur de *auctoritate librorum Scripturae S. canonicorum* respondente Maur. Fridr. *Engel*, et opponente C. F. *Müller de Berneck*, Olbernh.

DECEMBRIS

die III. de Ciceronis sententia; *Neminem sibi soli esse natum*, Fridr. *Danckegott Winzer*, Nauendorf. Latine, et Chr. Ehregott *Schneider*, germanice perorabant. d. XVII. Chr. Ehreg. *Lebr. Tzschoeckel*, oratione stilo Graeco expressa *aduentum Christi Salutarem* commendabat.

Haec sunt Iuuenalia anni superioris, ita, opinor, comparata, ut et docentes et discentes DEO, Patronis et conscientiae rationem reddere possint temporis neque otioso contriti neque male collocati. Quemadmodum autem annum elapsum laborando confecimus, ita bono cum Deo nouum laborando haud immerito auspiciamur, Et primos quidem labores non sine causa votis pro salute

et

et publica et priuata faciendis impendimus. Quo consilio excitati quidam nostri coetus adolescentes, officia sua ipso cum anno renouaturi, et admonitionem apostoli (1. Tim. II. 1.) sequuturi, colloquentes *vota religiosa* orando, precando, interpellando et gratias agendo nuncupabunt. Vbi nempe

FRIDR. GÖTTLIEB BIDERMANN, Naumburg.

Prologi partes expleuit, beneuolam Auditorum auscultationem *oda germanica* conciliaturus,

IO. CHRISTIAN DASCHKE, Prisc. Misn.

et

CHR. FRIDR. MÜLLER DE BERNECK, Olbernhau. } *Hebraice,*

gaudium publicum ab annum superiorem feliciter peractum, et nouum ex voto initum *gratulando* exponit. Quos sequentur

AVG. BENIAM. OTTO, Lommat. Misn.

et

MAVRIT. FRIDR. ENGEL, Chemn. Misn. } *Græce,*

preces pro aueritando malo, quas *δευσιων* nomine apostolus indicat, facient. Hos excipient

IO. GOTTFR. RICHTER, Niderfchoen, Misn. } *Latine,*

et

MICH. TRAVGOTT SEIFERT, Olbernhau, Misn. } *Latine,*

προσευχας, hoc est, *preces ad comparandum bonum* compositas piis votis complectentur. Succedent

SALOM. DAN. NAVMANN, Freiberg. } *Gallice,*

et

CAR. FRIDR. WINTER, Dresd.

illud pietatis officium praestituri, quod *ἐντροχισι* seu interpellando et *pro aliis deprecando* continetur. Finem votorum facient

CHRISTIAN GOTTFR. MAESCHEL, Freib. } *Germanicis*

et

CHRIST. EHREGOTT WVNDERLICH, Culmn. Misn. } *verbis*

gratias Deo immortalis persoluendo, et praesidium illius validissimum, ad hunc etiam annum feliciter peragendum, exorando. Quo facto

FRIDR. GOTTHELF TEICHMANN, Freib.

Epilogi munere functurus *verbis Italicis* gratum et beneficiorum memorem animum Auditoribus declarabit.

VOS, PATRONI, FAVTORES atque AMICI, ut cum nouo anno Vestram erga nos gratiam et beneuolentiam renouetis, et cras, hora IX. ante meridiem audita, IUVVENALIA nostra exoptatissima Vestra praesentia cohonestare velitis, ea qua decet, animi religione et pietate oro ac rogo, P. P.

Freiberg. d. XII. Ian. A. R. S. MDCCLVI.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle 3
002 103 591




7A→00L

VD 18







B.I.G.

71

ENALIA
 AVSPICIVM
 NOVI ANNI
 TIM EXPONIT
 ET
 TA RELIGIOSA
 NVNCVPANDA
 SEQVIOSISIME
 INVITAT
 TTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,
 MATTHAEANIS.

LXXI.

